

hæreditatis excedant, casu quo non fecit inventarium, vel sine beneficio inventarii hæreditatem adiit, ut habet communis l. fin. § *Sin autem. c. de Jure delib. et c. In litteris. 5. de Raptorib.* Ratio est; quia hæres et defunctis fictione juris censentur una persona, l. *Cum a matre. c. de Rei vindic. et l. Quoties c. de Hæred. instit.;* Sichard, ad l. III. n. 4. c. *de Fideicommiss.;* Hunn., loc. cit. cap. III. n. 6. cum communi. Nam « ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. » L. *Ex qua. 149. ff. de Reg. jur. et, « Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transiit. »*

526. IV. *Facit hæredem obligatum ad solvenda legata, et adimplendam voluntatem defuncti, salva detractioe Falcidiae ac Trebellianicæ.* — Resp. IV. Post additionem hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta legata et fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen, ut detrudere possit a legatis Falcidiam, vel a fideicommissis Trebellianicam, si fecit inventarium. De obligatione adimplendi voluntatem defuncti est, communis ac certa l. I. c. *de Sanctis Eccles.* De detractioe Falcidiae et Trebellianicæ patet ex dictis. Dicitur autem notanter, « si fecit inventarium; quia qui sine beneficio inventarii adit hæreditatem, Falcidiam detrudere non potest, textu claro l. fin. c. *de Jure delib.* Utrum autem etiam deductionem Trebellianicæ perdat hæres hæreditatem sine inventario adiens, magna est controversia inter doctores nonnullos ut Hunn., loc. cit. n. 11; Covarr., cap. XVI, § 11, n. 16. *de Testam.;* Clar., § *Testamentum. q. 66.* cum aliis affirmativam tenentibus; aliis vero, ut Gail., lib. II. observ. 134, n. 4. ubi ait sententiam contrariam non observari in praxi, Grass., *de Success. § Trebellianica. q. 7.* per tot.; Fachin., lib. IV, controv. 38. negativam tenentibus; utraque sententia inspectis juris fundamentis ab eisdem allegatis, videtur probabilis.

527. *Repudiatio et abstentio hæreditatis, quid? Hæreditas delata quæ dicitur?* — Quæritur. IV. Quid sit repudiare hæreditatem, et abstinere ab ea: vel quid sit repudiatio hæreditatis, vel abstentio ab ea, et a quo fieri possit? Resp. I. « Repudiare est hæreditatem jam delatam recusare, seu rejicere, vel non admittere. » Communis. Dicitur « hæreditatem delatam: » quia quæ delata nondum est, repudiari non dicitur. Dicitur

claro l. § *Decretalis. ff. de Success. eadict.* Dicitur autem « hæreditas delata » alicui, quando mortuo jam illo, de cujus hæreditate quæritur, potest hæreditatem, si vult statim adire et acquirere, vel requirere: uti cum communi docet Molina, disp. 174, n. 20; Calvinus, § *Delata;* Baldus, in l. *Potuit. c. de Jur. delib.;* Torre, *de Pactis success.* lib. II. cap. I. n. 15. arg. l. *Delata. ff. de Verb. signif. et l. I. § Decretalis. ff. de Success. edict.* Hinc hæreditas, vel aliud jus, quod de præsentem, volens adire non potest, nondum dicitur delatum, et ob id hæreditas futura, nondum defuncti, quia nondum delata est, repudiari non dicitur. *Abstinerere* fere coincidit cum *repudiare*, ipsaque *abstentio et repudiatio* idem significant eosdemque juris effectus habent, solumque in hoc differunt, quod *abstinere* dicatur hæres necessarius *suus*; extraneus vero *repudiare*. Calvinus, § *Repudiatio*, cum communi, arg. § 5 et 6. *Instit. de Hæred. qualif. et differ.* sicut supra diximus circa « adire hæreditatem, » et « immiscere se eidem; » quod nempe *adire hæreditatem* dicatur extraneus, *immiscere* vero se eidem dicatur hæres *suus*: quamvis nonnunquam confundantur, ita ut et hæres *suus* repudiare hæreditatem dicatur.

528. *Repudiare hæreditatem potest, qui eam acquirere potest.* — Resp. II. Omnis « is potest repudiare hæreditatem, qui et acquirere potest. » ait l. *Is. 18. ff. de Acquir. hæred.* Hinc sicut pupillus (idem dic de furiosis, amentibus, etc.), se solo non potest adire hæreditatem, ita etiam nec repudiare valet, l. *Pupillorum. 5. c. de Repud. vel abstinere. hæred.* ibi: « Pupillorum repudiatio delatæ hæreditatis, sine tutore auctore facta, nihil eis nocet. »

529. *Qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest: et e contra.* — Resp. III. Regulariter loquendo, qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest: sicut e contra, qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit. Communis ac certa. Textus expressus habetur l. *Sicut. 4. c. de Repud. hæred.* ibi: « Sicut major viginti quinque annis, antequam adeat delatam hæreditatem, repudians successionem, post quærere non potest, quæsitam renuntiando nihil agit, sed jus, quod habuit, retinet. »

530. *Limitatur in hærede suo qui repudiat hæreditatem adhuc adire potest.* — Dicitur notanter « regulariter loquendo; » quia

imitatur conclusio in hærede suo, utpote qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest, si nondum alienata est, l. *Si quis suus. 6. c. eod.* ubi etiam tempus determinatur, intra quod hæredi suo hæreditate semel repudiata, eam iterum adire licet: ubi vide, sicut et Jason in dictam l. *Si quis suus, c. eod.*

531. *De repudiatione hæreditatis facta a prælato sine consensu capituli. Remissive.* — Hic etiam examinare solent doctores, an liceat prælato sine consensu capituli, ac aliis juris solemnitatibus repudiare hæreditatem vel legatum Ecclesiæ factum? Verum quia de hac re, tit. X. § 2. jam egimus, lectorem illuc remittimus.

§ XVII.

DE RENUNTIATIONE HÆREDITATIS: ET JURE ACCRESCENDI.

532. *Renuntiatio hæreditatis, quid? spes futuri juris renuntiari, et in pactum deduci potest.* — Quæritur I. Quid sit renuntiatio hæreditatis? An, et quomodo fieri possit. Resp. I. « Renuntiatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis ad hæreditatem habet, vel habere potest. » Est in re communis, arg. l. I. c. *de Pactis.* dicitur autem notanter, « vel habere potest, » ut etiam includatur repudiatio futuræ hæreditatis: quia non tantum juri jam quæsito, sed etiam quærendo seu futuro quis renuntiare potest, arg. l. I. c. *de Pactis.* Quamvis enim jus quærendum, ac primo futurum in bonis nostris esse non dicatur, nec valeat de eo dispositio arg. l. *Si filius. 14. et l. Constante. 21. c. de Donationibus,* tamen renuntiari, et in pactum deduci potest spes, quam habemus ad jus futurum, arg. cit. l. I. c. *de Pactis.* et l. *Spem. 3. c. de Donationibus,* juncta l. *Si jactum. 12. ff. de Action. empt.*

533. *Renuntiatio hæreditatis multiplex.* — Resp. II. Renuntiatio hæreditatis varia est, et varie fieri potest. Patet inductione. Alia enim est, et fieri potest super hæreditate *patriscentium* inter se. Alia super hæreditate *Tertii.* Renuntiatio hæreditatis *Tertii* rursus alia est, et geri potest in genere, qua nempe quis renuntiat, omni cuicumque tandem hæreditati, quam unde, unde habere potest. Alia in specie, dum nempe quis renuntiat hæreditati certæ, vel certarum personarum. Insuper alia est, qua quis remittit, vel dimittit

tit hæreditatem actu jam aditam. Alia, qua quis renuntiat hæreditati futuræ nondum delatæ, seu potius spei, et juri incerto, quod quis habet ad futuram hæreditatem alicujus adhuc viventis, uti jam dictum n. præced. Talis foret renuntiatio, qua quis renuntiat hæreditati consanguinei, cui succedendi spem habet. Renuntiatio adhuc alia est, et fieri potest in favorem tertii, vocaturque ab aliis renuntiatio extinctiva, ac etiam translativa, quatenus renuntians in alterum transfert jus, quod ad hæreditatem habet. Alia est, quæ fit simpliciter, et in nullius favorem, qua quis declarat se nolle succedere, quisquis dein succedat. Potest autem fieri renuntiatio vel ex sola ac simplici voluntate solius renuntiantis, absque concursu voluntatis alterius; et hæc propriissime dicitur renuntiatio. Torre, loc. cit., n. 37; Galler., *de Renunt.* lib. I. cap. VIII. n. 6, 7 et 8. Alia, quæ fit cum consensu voluntatis alterius per modum pacti, et conventionis, quæ non differt a priori, nisi quod non possit tam faciliter revocari. Torre, loc. cit.; Galler., loc. cit. cap. III. In præsentem præcipue erit quæstio de renuntiatione hæreditatis futuræ adhuc viventis, eo quod de cæteris vel nulla, vel modica sit difficultas. De quibus tamen videri potest Torre, *de Pactis futuræ successionis.* lib. II. cap. I. et seqq.; Passerinus, in c. *Quamvis de Pactis.* in 6. n. 61. et alii.

534. *Renuntiatio futuræ hæreditatis in genere, vel personæ incertæ valet.* — Quæritur II. An, et quando valida sit renuntiatio præsentem jurata hæreditatis futuræ, alicujus adhuc viventis? Resp. I. Renuntiatio seu pactum circa hæreditatem alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere licite et valide fieri potest, etsi fiat in favorem tertii, Molina, disp. 412 et 579; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. II. n. 31; Layman, lib. III. tract. V. cap. VII. n. 3; Torre, *de Pactis succession.* lib. I. cap. XXVI. n. 4. cum communi aliorum, arg. l. III. ff. *Pro socio.* Ratio est, quia in hujusmodi renuntiatione abest periculum voti captandæ mortis, ob quod alias jura prohibent renuntiationem hæreditatis futuræ hominis adhuc viventis in favorem tertii, arg. l. fin. c. *de Pactis.* Hinc valida erit sequens renuntiatio: « Renuntio et cedo tibi omnem hæreditatem, quæ mihi aliquando a quocunque tandem obventura erit: » huc ipso enim, quod nullius certi hæreditas specificetur, nullius vita ob cupiditatem illius, cujus fit renuntiatio, periculum patitur.

535. *Renuntiatio et pactum circa hæreditatem adhuc viventis, cum hujus consensu valet. Renuntiare juri suo quisvis potest.* — Resp. II. Quævis renuntiatio, et pactum circa hæreditatem hominis viventis adhuc, etiam in alterius favorem facta valet, si fiat cum consensu illius, de cujus hæreditate fit pactum, seu renuntiatio; dummodo talis consensus suum usque ad mortem non revocet: Layman, loc. cit., n. 3; Menoch., consil. 1. n. 166; Seraphin., de Privileg. juram. privileg. 20. n. 6; Torre, de Pactis futuræ success. lib. I. cap. xxix. n. 1, eoque teste doctores omnes. Textus expressus habetur cit. l. fin. c. de Pactis; ubi postquam damnata sunt pacta super hæreditate viventis, apponitur sequens limitatio: « Nisi ipse forte, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit, et in ea usque ad extremum vitæ suæ spatium perseveraverit: tunc enim sublata acerbissima spe licebit eis illo sciente, et jubente hujusmodi pactiones servare. » Ratio est, quia cum in favorem illius, de cujus hæreditate agitur, sint prohibite renuntiationes et pacta circa hæreditatem viventis, potest talis consentiendo renuntiare favori suo, hoc ipso, quod « omnes licentiam habeant his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare. » l. Si quis. 29. c. de Pactis. Et scienti ac consentienti non fit injuria c. Scienti. de Reg. jur. in 6.

536. Hinc valet pactum, quo liberi de futura hæreditate patris adhuc viventis, ipso sciente et consentiente paciscuntur: v. g. « Si das mihi modo mille florenos, cedo, et renuntio tibi omnem hæreditatem paternam mihi aliquando obventuram: » vel si gratis unus ex eis dicat: « Renuntio meam aliquando mihi obventuram hæreditatem paternam » in favorem hujus, vel illius, etc.

537. *Dummodo consensum non revocet.* — Dicitur notanter, « dummodo talis consensus suum usque ad mortem non revocet: » quia si revocat, uti potest, omnis valor renuntiationis factæ evanescit, arg. cit. l. fin., c. de Pactis. Etiamsi jurarit se consensum non revocaturum: quia licet in tali casu pater v. g. consensum revocans perjurius esset, revocatio nihilominus valida foret, factamque renuntiationem invalidaret. Molina, disp. 579, n. 4; Sanchez, lib. VII. Moral. cap. II. n. 18; Torre, loc. cit.; Alciatus, ad l. fin. c. de Pactis, cum cummuni aliorum.

538. *Consensus debet præstari tunc, quando*

fit renuntiatio. — Debet autem hic consensus præstari tunc quando fit renuntiatio, seu pactum de hæreditate consentientis, ita ut non sufficiat, si postea primum sequatur, seu ratificet. Torre, de Pactis futuræ success. lib. I. cap. xxix. n. 34; Merend., Controv. lib. I. cap. xviii. n. 7; Bolognet, ad l. fin. c. de Pactis, n. 46. Hodiernus, Controv. cap. xxviii. n. 29, ubi plures allegat Rotæ decisiones, et alii. Ratio est, tum quia, quando consensus requiritur ad integrandam paciscentium personam, debet consensus in ipso actu intervenire, nec sufficit, si postea sequatur, arg. §. Tutor. Instit. de Author. Tutor.; tum etiam, quia quando agitur de præjudicio tertii, vel contra jus publicum, uti fit in renuntiatione hæreditatis, debet consensus requisitus præstari tunc, quando fit actus, uti cum citatis doctoribus bene advertit Daniel, de Nobil., disp. 31, n. 80.

539. *Nec sufficit, si postea sequatur, et quare?* — Nec obstat c. Ratihabitionem, de Reg. jur. in 6. dicens: « Ratihabitionem retrahi, et mandato comparari, non est dubium. » Nec si dicas in casu, quo consensus solummodo exiguntur ad evitandum præjudicium tertii, sufficere, si postea consensus sequatur. Nam contra est, quod hæc tantum procedant in casu, quo actus præcise ideo prohibetur propter delictum, et ob jus publicum; prout res se habet in præsentibus, ubi renuntiatio seu pactum circa hæreditatem viventis, eo non consentiente, ideo prohibetur; quia est contra bonos mores, l. fin. c. de Pactis. et jus publicum l. Si quando. 35. § 1. c. de Inoffic. testam., et l. III. de Collat. patrim. Hinc ille, de cujus hæreditate agitur ab initio per suum consensum facere quidem potest, quod fiat sine delicto, vel injuria, arg. l. Volenti. ff. de Reg. jur. post factum tamen, consensu suo facere non potest, desinere delictum, vel actum cum delicto factum non esse, l. Qui ea mente. ff. de Furto. Illud tamen fatendum sufficere consensum subsequentem, si renuntiatio ad ratificationem illius, de cujus hæreditate agitur, expresse facta est.

540. *Consensus debet esse expressus, nec sufficit tacitus.* — Porro non sufficit consensus tacitus, sed requiritur expressus. Merlin, de Pignor. et Hypoth. lib. I. q. 40. n. 41; Bolognet, ad l. fin. c. de Pactis.; Hodiern., Controv. lib. I. cap. xxviii. n. 18; Flamin. Parisien., loc. cit. et contra Sanchez, lib. VII. in Decalog. cap. II. n. 11. et alios, arg. cit.

l. fin. c. de Pactis. ibi: « Sciente et jubente, » etc. Ratio est, quia tacitus consensus non sufficit, seu tacens non habetur pro consentiente, quando agitur de præjudicio tacentis, nisi jus specialiter, quid disponat, prout latius probavimus supra lib. II. tit. XII. num. 177.

541. *Renuntiatio de hæreditate viventis, sine hujus consensu facta non valet.* — Resp. III. Omnis renuntiatio, vel pactum circa hæreditatem unius vel plurium viventium in specie, sine hujus vel horum consensu, in favorem alterius facta, etiamsi juramento fuerit confirmata, nulla atque invalida est. Prima pars quod talis renuntiatio absque juramento facta, invalida sit, fatentur omnes, textu claro l. fin. c. de Pactis: ubi etiam ratio habetur; quia nempe « hujusmodi pactiones odiosæ videntur, et plenæ tristissimi exitus, ac contra bonos mores sunt. »

542. *Etsi juramento confirmata sit.* — Altera conclusionis pars, quod videlicet nullæ sint, etsi juramento confirmantur, est communissima, multisque decisionibus Rotæ firmata, ut proin teste Torre, de Pactis success., lib. II. cap. III. n. 68. de veritate hujus conclusionis hodie non amplius sit ambigendum. In specie eam tenent Torre, loc. cit. n. 67; Bolognet, in l. fin. c. de Pactis. n. 59; Baldus, in c. Ad nostram. de Jurejur. n. 7; Soc. Seu., vol. III. consil. 78; Fachin, lib. VIII. cap. VII; Sanchez, lib. VII. cap. II. n. 33; Tholosan, Syntag. jur. univ. lib. XLI. n. 13; Layman, lib. III. tract. V. cap. VII. n. 3; Gallerat, de Renuntiat. lib. III. cap. II. n. 60. et communissima aliorum. Ratio est, quia hujusmodi renuntiationes et pacta sunt, contra bonos mores, l. fin. c. de Pact. « Non est autem obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, reg. 58. de Reg. jur. in 6. » nec actum jure nullum validat, et ideo est nullus: quia est contra bonos mores vel jus naturale, § Sed naturalia. Instit. de Jur. natural. gent. et civil. vel si est in præjudicium tertii, c. Cum contingat. 28. de Jurejur. uti res se habet in casu nostro; utpote in quo inducitur votum capitandi mortem alterius, l. fin. c. de Pactis. quod tanquam iniquum non solum a jure civili, sed et canonico reprobatur c. II. de Concess. præb. et c. II. et III. eod. in 6.

543. *Et alicubi contraria sit consuetudo.* — Procedit conclusio, etiamsi alicubi vigeret contraria consuetudo: quia et hæc etiam invalida est, si est contra jus naturale vel fovet

peccatum, c. fin. de Consuetud. Talis autem foret consuetudo renuntiandi hæreditatem viventis absque hujus consensu. Peccatum siquidem foveret, quia, utpote contra bonos mores nunquam excerceri posset sine peccato. Contra jus naturale vero, quia in præjudicium tertii vergit, quippe inducens votum captandæ mortis.

544. *Juramentum contra bonos mores, vel jus naturale, vel in præjudicium tertii non obligat.* — Nec dicas, per juramentum universaliter convalidari actus, et contractus alias de jure nullos: ergo etiam renuntiationem de hæreditate viventis. Textu claro c. Quamvis. 2. de Pactis. in 6. ibi: « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nupti tradebatur, ut dote contenta nullum regressum ad bona paterna haberet, improbet lex civilis, si tamen juramento non vinec dolo, præstito firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debet; cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. » Resp. enim distinguendo ant. Confirmat actus, et contractus de jure nullos, si non sunt contra bonos mores, nec fovent peccatum, nec vergunt in præjudicium tertii, concedo: Si una ex his qualitatibus affecti sunt, uti renuntiatio hæreditatis viventis, nego ant. et consequenter. Dices; Etiam renuntiatio posita in c. Quamvis. de Pactis. in 6. est de hæreditate viventis, et tamen juramento firmatur ergo. Resp. negando rationem et paritatem. Disparitas est, tum quia in dicto casu accessit consensus illius, cujus hæreditas renuntiabatur, patris nempe: tum quia facta non est in favorem tertii, consequenter absque periculo voti captandæ mortis, sicque in nullius præjudicium, nec contra bonos mores, arg. cit. Juribus.

545. *Renuntiatio hæreditatis plurium, uno absente aliis præsentibus, valet quoad præsentibus: et non valet quoad absentes.* — Illud etiam hic advertendum, quod, si quis hæreditati plurium in specie renuntiat, uno vel altero præsentibus et consentiente, altero vero absente, et consequenter consensum non præstante; talis renuntiatio foret valida quoad consentientes, invalida vero quoad illos, quorum consensus deficit. Torre, de Pact. success. lib. II. cap. V. n. 67. cum pluribus aliis a se citatis. Ratio est; quia in materia separabili, « utile per inutilia non debet vitari. » Utile. 37. de Reg. jur. in 6.

546. *Renuntiatio matris quando noceat alicui.* — Quæritur III. An renuntiatio, qua filia dote accepta rite et valde renuntiat, noceat liberis ex tali filia natis, vel generandis. Resp. I. Si in renuntiatione expressum est, quod pro se et hæredibus renuntiet, etiam liberis nocet. Ita satis communis. Teneatque omnes, qui universaliter docent liberos excludi per renuntiationem factam a matre, inter quos est Surdus, consil. 133. n. 11. et 12. lib. I. Decius, consil. 118. et in l. *Pactum dotale de Collat.* et alii citati per Fachin, lib. III. cap. XXXIII. Ratio est, quia quantum ad bona fortunæ, et jura sua potest quis se, et hæredes obligare, « per *vulgaria juris*: » consequenter, si ita expresse paciscitur mater, liberi acquiescere debent.

547. Resp. II. Si nulla de hæredibus facta est mentio in renuntiatione, non nocet liberis, casu quo mater eorum ante avum, vel aviam tuit mortua. Fachin, lib. III. cap. XXXIII; Carpz, p. 3. *Constit.* 35. defin. 11; Dauth, in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. n. 44; Covarruvias, in c. *Quamvis. de Pactis.* in 6. p. 3. § 2. n. 4; Azorius, tom. II. lib. II. cap. XXVIII. n. 13; Bartolus, in l. *Qui superstitis.* ff. *de Acquir. hæredit.* et alii contra Molinam, disp. 579. n. 4; Surdus, consil. 133. n. 11. et 12. lib. I. Fundamentum est, quod licet mater per talem renuntiationem sit exclusa ab omni successione; per hoc tamen non manent exclusi liberi, utpote qui mortua matre: jure proprio succedunt avo, vel aviæ, arg. l. *Si quis filio.* ff. *de Injusto rupto.* Accedit, quod renuntiatio habeat tacitam hanc conditionem, si hæreditas fuerit delata, arg. l. I. ff. *de Hæred. vel act. vend.* et l. CLXXIV. ff. *de Reg. jur.* et l. *Qui superstitis.* ff. *de Acquir. hæred.*; atqui si filia renuntians ante matrem aut patrem renuntiatarium moritur, hæreditas ei non fuit delata arg. cit. l. I. ff. *de Hæred. vel act. vend.* patetque ex dictis: ergo. Nec obstat, quod in renuntiatione filia acceperit dotem. Nam contra est, quod pater teneatur dotare filiam l. fin. *de Dotis promiss.* et sola dos non impediatur, quin filia dotata adhuc succedat; dummodo conferat dotem, l. *Illam.* c. *de Collation.*

548. *Renuntiatio est stricte interpretanda.* — Quæritur IV. Quomodo sit interpretanda renuntiatio? ad quæ bona, et quousque se extendat? ac quando expiret? Resp. I. Renuntiatio est stricte interpretanda, nec extendenda ultra verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem, ac

ita intelligenda, ut renuntianti minus præjudicet. Carpz, p. 2. *constit.* 46. defin. 12. n. 6; Layman, lib. III. tract. V. cap. 7. n. 2; Gaius, lib. II. observ. 77. n. 5; Decius, consil. 352. n. 7; Torre, loc. cit. lib. II. cap. XV. n. 81, ac plurimæ Rotæ decisiones. arg. l. *Tres fratres.* 35. l. *Si unus.* § *Pacta.* 4. et l. *Emptor.* 47. § *Lucius.* ff. *de Pactis.* Ratio est, quia quæ contra jura sunt, ut renuntiatio de futura successione, arg. c. *Quamvis. de Pact.* in 6. stricte interpretanda veniunt per *vulgaria.*

549. *Et non extenditur ad feudalia bona.* — Resp. II. Renuntiatio non se extendit ad bona feudalia, nisi expressa de eis mentio fiat. Covarruvias, p. 3. in c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. n. 9; Molina, disp. 579; n. 22; Layman, loc. cit.; Torre, *de Pactis futuræ success.* lib. II. cap. XXXVIII. n. 12. et seq. Menochius, consil. 16. n. 25; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. VII. n. 8. et communis aliorum. Ratio est, quia bona feudalia non tam jure hæreditario, quam ex pacto primi acquirentis devolvuntur: ut patet ex dictis supra tit. XX. *de Feudis.*

550. *Renuntians hæreditati paternæ potest eam a fratre vel alio iterum acquirere.* — Resp. III. Renuntians hæreditati paternæ vel maternæ potest eam jure hæreditario adhuc acquirere a fratre vel alio, ad quem renuntiata hæreditas devenit; si tali vel ab intestato, vel ex testamento succedit. Molina, loc. cit. n. 20; Covarruvias, loc. cit. n. 2; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. VII. n. 6; Menochius, consil. 333. et communis aliorum. Ratio est, quia renuntians in tali casu non petit bona tanquam hæreditatem paternam, cui renuntiavit, sed fraternam, vel aliam, cui non renuntiavit.

551. *Ac retinet jus ad alimenta.* — Resp. IV. Renuntians hæreditati paternæ habet jus ad alimenta in casu necessitatis. Covarruvias, p. 2. in c. *Quamvis pactum.* § 6. n. 12; Baldus, in l. *Pactum.* c. *de Collat. quest. ult.*; Sanchez, loc. cit. n. 4; Menochius, consil. 71. a. n. 5. late probans, et plures alii contra non paucos apud citatum Covarruviam et Sanchez. Ratio est, quia jure prohibitum est futuris alimentis renuntiare, l. *Cum hi.* 8. ff. *de Transact.*

552. *Renuntiatio sub conditione deficit, deficiente conditione.* — Resp. V. Renuntiatio facta sub conditione regulariter loquendo evanescit, deficiente conditione. Torre, *de Pactis futuræ success.* lib. II. cap. XXXIV. et

XX; Merlin., *deels.* 253. n. 5. cum communi et certa aliorum. Ratio est, tum quia universaliter dispositio conditionalis deficiente conditione est ipso jure nulla, arg. l. I. c. *de Donat. quæ sub modo.* l. *Qui hæredi.* et l. *Mævius.* ff. *de Condition. et demonstrat.*; tum quia conditio nihil parit in esse; et hinc actus conditionalis non valet, conditione deficiente. l. *Cedere diem.* ff. *de Verb. signif.* et l. *Si quis. sub. condit.* ff. *Si quis ommissa causa.* Et ideo sequens renuntiatio, qua dicit soror: Renuntio hæreditati paternæ in favorem fratris mei; si hic nubit, et filios acquirit, invalida erit, si vel non nubat, vel nubens filios non acquirat.

553. *Sicut etiam facta ex certa causa deficit, deficiente causa.* — Resp. VI. Renuntiatio facta ex certa causa finali cessat, quando causa non adimpletur, vel cessat, aut non evenit. Donad., *de Renuntiat.* tom. I. cap. XIX. per totum; Fontan., *de Pactis nuptial.* p. 1. claus. 9; Glossa, un. n. 83; Torre, *de Pact. futur. success.* lib. II. cap. XXXIII. n. 224. et seq.; Molina, *decis.* 362. n. 11. et communis aliorum, arg. cit. l. I. c. *de Donat. Quæ sub modo.* Ratio est, quia universaliter causa expressa regulat actum, et datum ex aliqua causa, revocatur causa non subsecuta, l. I. *de Condict. causa data.* Vide Barbosam, *de Axiomat. jur.* axiomat. 40.

554. *De renuntiatione. Remissive.* — Plura *de Renuntiationibus* vide apud civilistas, præsertim in l. fin. c. *de Pactis.* quorum aliqui integros tractatus scripsere de hac materia. Item apud canonistas in c. *Quamvis pactum. de Pactis.* in 6. In quod pulchre Covarruvias. Insigniter etiam *de Pactis futuræ successio-* nis integrum tractatum scripsit Joannes Torre. Specialiter etiam hic agendum esset de renuntiationibus, quæ fiunt a novitiis, vel sæcularibus intuitu ingressus in monasterium. Sed de hac infra tit. XXXI. *de Regular.*

555. *Jus accrescendi quid?* — Quæritur V. Quid sit, et quibus competat jus accrescendi? Resp. I. Ut si est jus, quo pars vacans cedit, et accrescit parti sub uno toto quasi sociæ jam occupatæ. Calvinus, in *Magno Lexi. jur.* §. *Accrescendi jus.* et est in re communis. Dicitur autem *Ut sic*; quia non tantum in materia hæreditatis, sed etiam in aliis datur. Ad præsens autem specialiter loquendo in materia hæreditatis: « Est jus, quo alicui jam habenti aliquid de hæreditate accrescit alia hæreditatis portio ex certa

causa vacans. » Calvinus, loc. cit.; Ludwell., *de Ultim. volunt.* p. 1. cap. v. cum communi, arg. l. IX. ff. *de Suis et legitim. hæred.*

556. *Quibus competat?* — Resp. II. Quodcumque plures instituuntur hæredes, et unus, vel plures adeunt hæreditatem; unus vero, vel plures eandem repudiant, vel ex alia ratione eam acquirere nolunt, aut non possunt, tunc horum portio vacans accrescit adeunti hæreditatem. Communis ac certa textu *claro*, cit. l. *Si ex pluribus.* 9. ff. *de Suis et Legitimis. hæred.* ibi: « Si ex pluribus hæredibus legitimis quidam omiserint adire hæreditatem, vel morte, vel aliqua alia ratione impediti fuerint, quominus adeant; reliquis, qui adierint, accrescit illorum portio. »

Reliqua de jure accrescendi relinquimus legistis, qui hanc materiam pro una ex difficillimis et subtilissimis in jure reputant, ut puta Vult., ad § fin. *Instit. de Donat.* nu. 1. adeo, ut nulla in jure spinosior sit, ut opinatur Hotom., III. q. 44. Bene de hoc jure discurrit Ludwell., loc. cit.; Tuschus, *litt.* l. conclus. 565. et seq.

§ XVIII.

DE SUBSTITUTIONIBUS.

557. *Substitutio, quid?* — Postquam huc usque egimus de principali specie ultimæ voluntatis, pergimus modo ad reliquas ultimarum voluntatum species, substitutiones nempe, fideicommissa, legata, et donationes mortis causa, et codicillos. Et quia inter has principalior est substitutio, utpote propinquius accedens ad essentiam testamenti, prius de hac in præsentibus paragrapho agemus. Hinc

558. *Alia est directa, alia indirecta.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit substitutio? Ante responsionem nota, multum, sed plane inutiliter controversere aliquos doctores circa definitionem substitutionis, nonnullis amplectentibus definitionem datam l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* ubi definitur substitutio, « quod sit hæredis secunda institutio: » alii eandem ut minus sufficientem rejicientibus. Resp. I. « Substitutio est subordinata hæredis institutio, aut vocatio ad rem aliquam ex ultima voluntate. » Pirhing, h. t. n. 60; Wesenbec., in l. I. ff. *de Vulg. et pupill. substit.* Estque in re communis arg. cit. l. ff.